



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

IX. Markgraf Ludwig vereignet das Dorf Kaul der Stadt Wriezen, am 16.
Februar 1340.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

IX. Markgraf Ludwig vereignet das Dorf Kaul der Stadt Briezen, am 16. Februar 1340.

Ludovicus etc. Prudentibus viris et discretis etc. Effecerunt et efficiunt continuatis temporibus fidelitatis et constantie vestre merita, quod commodis vestris aumentoque rerum et bonorum vestrorum vberius intendere nos delectat. Sane cum villa, dicta kaul, cum suis pertinentiis et distinctionibus, limitibus et terminis opidi vestri prenotati adeo sit contigua seu connexa, quod ex connexione siue appropriatione ipsius uille cum suis pertinentiis commodum, utilitas et profectus vobis poterit generari, vobis singulisque vestris succedentibus prenotatam villam cum vniuersis suis pertinentiis qualitercunque nominatis appropriauimus, appropriamus et cum renuntiatione expressa Juris nobis heredibus et successoribus nostris in dicta villa competentis renuntiare decreuimus presentium testimonio litterarum. Pro qua quidem appropriatione iurisque nostri renuntiatione vos de quadraginta marcis argenti Brand. et ponderis, quas nobis erogasse et in nostros vsus deuenisse nouimus, quitos dicimus et solutos. In cuius etc. Testes g. comes de Swartzburg, Jo. buch, Jo. hufener, Berenger, Helo, Bombrecht, Loterbeck cum ceteris. Datum Berlin, anno domini M^o CCC^o XL^o, feria quarta post circumdederunt me.

Nach dem Copialbuche des M. Ludwig I., betreffend die Vogtei Barnim Nr. 11.

X. Markgraf Ludwig verpachtet dem Rath der Stadt Briezen den Zoll daselbst auf 4 Jahre, am 26. Februar 1337 und 18. Januar 1341.

Nouerint etc. Quod nos etc. Locauimus et presentibus locamus discretis viris Consulibus in Wryzna theoloneum nostrum ibidem pro XVI marcis arg. Brand. nobis solutis a festo pasche proxime venturo per quadriennium continuum cum vniuersis fructibus et iuribus, quibus ipsum alii conductores ante ipsos possedisse noscuntur, pacifice possidendum. Soluent eciam pensionem consuetam de ipso theoloneo annuatim terminis consuetis illis hominibus, qui ius habent capiendi debitas pensiones. Addicientes, quod opidani dicti opidi poterunt impignorare omnes transientes per viam rubeti dordenbusch vel alias extra viam consuetam transitum facientes, euitando solutionem theolonii ac alia quacunque ex causa, dum tamen hec impignoratio summam trium talentorum non excedat. Elapsis autem hiis annis, dictos consules conductioni dicti theolonii proximiores esse volumus, nec aliquos ipsis permittimus anteferri, obseruata dicti pretii quantitate. In cuius Testes h. comes de Hennenberg, Jo. Buch, Bortuelt cum ceteris. Datum Spandowe, anno domini M^o CCC^o XXXVII^o, feria quarta post Mathei apostoli.

Item in hec uerba dedit dominus ipsis literam a festo pasche proxime venturo ad quadriennium presentibus testibus domino g. comite de Swarczburg, Jo. Buch, Bombrecht, ger. wolf. Datum Spandowe, anno domini M^o CCC^o XL^o primo, In die prische virginis.

Nach dem Copialbuche M. Ludwig I., betr. die Vogtei Barnim Nr. 18 u. 19.